







1763, 2  
10 3 4

DISQVISITIO IVRIDICA  
DE  
VERA NATVRA ET INDOLE  
IVRIS NON SCRIPTI OCCASIONE  
LEGIS II. COD. QVAE SIT  
LONGA CONSVETVDO

---


QVA  
IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA  
ORDINIS ICTORVM H. T. PRO DECANVS  
D. IOHANNES IACOBVS HOEFLER

AD  
DISSERTATIONEM PVBLICAM ET SOLLEMNEM  
A  
DOM. AVGVSTO IOHANNE OTTONE  
MENSCHING

LVBECENSI  
DIGNISSIMO SVMMORVM IN VTROQVE IVRE  
HONORVM CANDIDATO

SINE PRAESIDIO DEFENDENDAM

STVDIOSISSIME INVITAT



HELMSTADI  
EXCVDEBAT MICHAEL GÜNTHER LEVCKART.



DISSERTATIO IURIDICA  
DE  
VERA NATURE ET INDOLE  
IUS NON SINE OCCASIONE  
LEGIS IN GOD. QVAE SIT  
LONGA CONSTITUDO  
IN ACADEMIA IVLIA CAESARIA  
OPUS OTTONI H. T. PRO DECANO  
D. JOHANNIS JACOBI HOFFLER  
DISESSERTATIONEM IURIDICAM ET SOLIDAM  
ROM. AVGVSTO IOHANNIS OTTONI  
ALBINCHING  
EIGNITIVO EXAMINIS IN IURIS QVAE  
HONORVM CANDIDATO  
SIVE PRAESIDIO DEFENDENDAM  
STATIONARIA INVIATA  
KÖNIGSBERG  
KÖNIGSBERG







DE  
VERA NATVRA ET INDOLE IV-  
RIS NON SCRIPTI OCCASIONE LE-  
GIS II. COD. QVAE SIT LONGA  
CONSVETVDO

§. I.

RATIO DICENDORVM.



us scriptum utrum praestantius sit iure non scripto, hoc vero an legem expresse promulgatam vincat, controuersiosae adhuc fuerunt quaestiones, de quibus famigeratissimi iure consulti in utramque partem speciose disceptarunt. Sufficiat e pluribus adducere praecipuos, uidelicet THOMASIVM in dissert. de morum cum iure scripto contentione, A LEYSER in medit. ad pand. spec. IX. DE COCCEI in iure ciuili controuerso L. I. tit. III. Qu. XIII. itemque CONRADIVM in diff. de consuetudine legem haud uincente. Horum igitur praestantissimorum uirorum opera aequae ac ueritatis studio

A 2





dio incitatus, ueram naturam et indolem iuris non scripti, sensumque genuinum legis II. C. quae sit longa consuet. paullo interius inquirere apud animum constitui.

§. II.

QVID SIT IUS NON SCRIPTVM, INVESTIGATVR.

Meo quidem iudicio, bene recteque iam obseruauit BEYERVS in delineat. iuris diu. nat. et posit. uniuersalis C. I. pos. I. ius concipi non posse sine imperante. Cum enim iuris sensu nil aliud intelligatur, quam uoluntas imperantis, humanis actionibus necessitatem moralem imponens; ipsa autem moralis necessitas sine imperio cogitari non possit, isto enim cessante, uniuscuique pro lubitu agere licet, facile inde colligitur, omne ius pendere ab imperante. Respectu omnium hominum imperantem esse DEVM, contra in statu hominum civili illum, qui imperium legitime consecutus est, quiuis intelligit. Quoniam autem ius in uoluntate imperantis positum est, facile patet, de uoluntate imperantis constare debere, si exinde obligatio sit inducenda, qui actus legis promulgatio dicitur, atque indubitata legislatoris uoluntate absoluitur. Ipsa uero legum promulgatio alia est respectu DEI, alia ratione legislatoris humani. Etenim DEVS ui omniscientiae suae omnes hominum actiones, quibus uera felicitas uel promoueri uel destrui possit, antea uidit, atque adeo et data hominibus ratione, et sacris litteris manifestauit, quid quemuis facere, quid omittere oporteat. Quapropter omne ius diuinum pro scripto habendum. Licet enim alias ius naturae ius non scriptum dicatur, in oppositione iuris diuini positi; tamen ipsa dictata rationis nos de expressa DEI uoluntate conuincunt, satisque indicant, naturales leges proprie loquendo ad ius non scriptum referri non posse. Inde DIV. PAVLVS epist. ad Rom. C. II. u. 15. opus legis cordibus hominum inscriptum esse dicit. Similiter et IVSEFINIANVS in §. II. I. de I. N. G. et C. perhibet: natu-



3  
4

3

4

turalia iura, quae apud omnes gentes peraeque obseruantur, diuina quadam prouidentia constituta, semper firma atque immutabilia permanere. Ad imperantem autem humanum si respicimus, iam in commentat. de primis et genuinis leg. font. §. XIV. et XV. ostendi, ad illius officium inter alia pertinere, ut bonis legibus et salus publica ciuitatis et commoditas quorumque ciuium promoueat, adeoque ad finem hunc obtinendum, non communia modo praecepta naturalia, sed cuiusuis ciuitatis etiam singularia commoda esse consideranda. Hoc autem, cum in condendis legibus scriptis ab ipso imperante humano ubique obtineri nequeat: omniscium enim esse oportet, si omnibus ciuium actionibus bonis legibus prospicere uellet: inde frequenter accidit, ut non solum leges scriptae, uel ab uniuersis, uel a quibusdam ciuibus in re publica, alio quam debeant accipiuntur intellectu, uerum etiam nulla adhuc lege expressa existente, negotia tam publica quam priuata, eaque uel inter omnes, uel inter quosdam tantum reipublicae ciues, certa ratione determinentur atque conficiantur, quae ratio leges scriptas interpretandi, negotiaque sine lege scripta determinandi et componendi, mos seu consuetudo dicitur. Quoniam uero omne ius a uoluntate imperantis pendet, per se constat, consuetudinem sine imperantis uoluntate legem non facere. Loquor autem de consuetudine in ciuitatem introducenda, respectu enim gentium, quae inter se nullum imperantem, praeter DEVM, agnoscunt, consuetudines secundum naturae leges stabilitas ius constituere, facile intelligitur. Voluntas imperantis non obligat nisi promulgata. Ipsa uero legis promulgatio cum indubitata legislatoris uoluntate absoluitur, illa autem uel expresse uel tacite declarari possit, constat inde, uoluntatem imperantis, uel uia uoce, uel litteris, uel solo consensu aperte significatam, ius scriptum, contra ea consuetudinem ciuium, si imperanti cognita, illique ab eo, ubi tamen opus fuisset, non obrogatum sit, ius non scriptum constituere. Atque adeo ius non scriptum est consuetudo, tacita imperantis uoluntate introducta. Simulque intelligi-





tur, cur in iure plerumque consuetudo pro iure non scripto accipiatur.

§. III.

IN NATVRAM ET INDOLEM IVRIS NON SCRIPTÆ  
VLTERIVS INQVIRITVR.

Ex his quae iam dicta sunt apparet, ius non scriptum ab imperantis tacita uoluntate solummodo esse petendum. Imperium uero, cum in ciuitate uel uni uel optimatibus uel omnibus patribus familias competat, patet inde, *pro ciuitatum forma iuris non scripti introductionem a tacito consensu uel unius uel plurium pendere.* Porro cum perinde fit, imperans siue expresse siue tacite ciuium actionibus normam praescribat, conficitur inde, *inter legem scriptam et non scriptam, quantum ad obligationem et efficacitatem, nullam plane est differentiam.* Quapropter IULIANVS in l. 32. D. de LL. de populo romano legislatore recte pronunciat: quid interest, suffragio populus uoluntatem suam declaret, an rebus ipsis et factis? Inde IMPER. LEO et ANTHEMIVS in l. 3. C. quae sit longa consuet. sanxerunt, leges ipsas antiquitus probatam et seruata tenaciter consuetudinem imitari et retinere. Quibus ad stipulatur IVSTINIANVS in l. 31. C. de testam. perhibens: consuetudinem legis uicem obtinere. Igitur legis non scriptae eadem uirtus est ac scriptae, nimirum illa pariter ut haec imperat, uetat, permittit, punit. Vid. l. 7. D. de LL. Et sicuti constitutiones tempore posteriores potiores sunt his, quae ipsas praecesserunt per l. ult. D. de constit. princip. ita lex non scripta derogat legi antea scriptae similiter atque consuetudini approbatæ lex scripta post eam lata, §. 11. Inst. de I. N. G. et C. Praeterea cum imperantem oporteat, in condendis legibus, et ius diuinum et totius ciuitatis utilitatem respicere, illumque non aliter praecipere uelle praesumatur, patet inde, *consuetudinem legibus diuinis et saluti reipublicae aduersam, nunquam ab imperante tacite approbatam censeri, sed ut irrationalem plane reiciendam esse.* Prauum enim uisum lex et ratio uincat c. l. d.



3  
4

d. II. Adeoque male adiuuenta, malaeque consuetudines, neque ex longo tempore, neque ex longa consuetudine confirmantur Nou. 134. c. 1. Nam frustra opponuntur rationi, et radicitus sunt euellendae c. 3. et 7. dist. 8. Inde intelligitur paroemia iuris germanici: hundert Jahr unrecht, ist nicht eine Stunde recht, quam illustratam lege apud HERTIVM paroem. iur. germ. L. I. par. 3. Cum etiam in imperantis humani non positum sit potestate, omnium ciuium utilitati bonis legibus prospicere, id tamen usu legum scriptarum moribusque ciuium non modo sentiri, sed et obtineri atque suppleri possit, si utroque casu tacita accedat imperantis uoluntas, constat inde, *ius non scriptum tam contra quam praeter legem scriptam posse introduci*. Diuersum hunc legem non scriptam constituendi modum indicauit IULIANVS in l. 32. D. de LL. Ius non scriptum, contra proprium legis scriptae sensum ab imperante concessum, uocatur alias *interpretatio usualis*. Optima enim est legum interpretatio consuetudo l. 37. D. de LL. qua pariter ac iure non scripto, praeter legem expressam inducto, pro ratione utentium ius non scriptum uel *uniuersale* uel *singulare* efficitur. Quoniam uero inter legem scriptam et non scriptam respectu obligationis et efficacitatis nulla est differentia, scriptique iuris singularis ea natura, ut strictae sit interpretationis, nec ad consequentias producendum per l. 14. D. de LL. de iure non scripto singulari, idem dicendum esse constat. Quapropter *ius non scriptum, prout uel in uniuersum, uel respectu quorundam modo ciuium, uel contra, uel praeter legem scriptam inductum, pro circumstantiarum ratione, uel ius uniuersale, uel singulare constituit, iusque scriptum aut penitus mutat, aut quosdam tantum ab huius obseruantia liberat*. Quum etiam non nisi rationalis consuetudo sit admittenda, solent saepius legislatores scriptis legibus adiacere, ne abrogari unquam possint per usum contrarium: qua de re uideatur HERTIVS in differt. de lege clausula, ut ne abrogari unquam possit, munita, quae inuenitur  
in



§

in eius opusc. Vol. I. Tom. III. pag. 3. Hoc pacto autem  
legislatores sapientissime prouident, ne contra iura scripta ir-  
rationalis introducatur consuetudo, integri uero ciuium mo-  
res, expressa imperantis uoluntate, in rei publicae utilitatem  
mature uertantur atque confirmentur. Hac saluberrima le-  
gislatoris prudentia motus SERENISSIMVS PRINCEPS  
NOSTER CAROLVS, quem DEVS ad feram usque ae-  
tatem fausto felicique regimine impertiat, die xx. Aug. anno  
MDCCLXXXII, mandato ad singulos magistratus et iudices sui  
ducatus emisso, hunc in modum constituit: Von Gottes  
Gnaden CARL Herzog zu Braunschweig und Lüne-  
burg etc. Vns ist hinterbracht worden, das wider den In-  
halt derer Landes-Constitutionen und Ordnungen so wohl  
circa formalia processus, als auch in decidendo oesters ver-  
fahren, und die Geseze wegen eines vermeintlichen non usus,  
oder propter contrariam obseruantiam hintangesezet wor-  
den. Wie Wir aber ernstlich wollen, das alle und iede von  
Vns in GOTT ruhenden Vorfahren an der Regierung  
und Vns gemachte Verordnungen, falls sie nicht von Ihnen  
oder Vns expres abgeschafft, ohne Ausnahm gelten und be-  
obachtet werden sollen; so befehlen Wir euch ernstlich,  
euch in allen und ieden Faellen darnach zu achten. Solte  
Inzwischen in mehr gedachten Gesezen und Ordnungen et-  
was zu finden seyn, das nach iezigen Zeiten und Vmstaen-  
den einer Mehrung, Minderung oder Abschaffung bedoefer-  
te, so habt ihr solches an Vnsere Iustiz-Canzley zu melden,  
welche euch sodenn entweder, wann Vnsere Willens-Mei-  
nung ihr bereits wissend, so fort mit Bescheid versehen,  
oder wiedrigenfalls bey Vns anfragen und des weitern euch  
instruiren wird. Idem quoque indicat CLEMENTISSIMI  
PRINCIPIS rescriptum die XXII. Aug. dicti anni emissum  
an das Fürstl. Consistorium, Iustiz-Canzley und Hof-Ge-  
richt um die bisher contra leges et constitutiones eingeschlich-  
ene Obseruantias gaenzlich abzuschaffen, und dahin zu se-  
hen,



hen, das wider denienigen, der dawider handelt, der Fiscal excitiret werde. Conf. WOLTERECK in kurzen Begriff Braunschweig - Wolfenbüttelscher Landes - Ordnungen und Gesetze p. 341. Ex his quae haecenus differuimus conicere licet: utrum ius scriptum praestantius sit iure non scripto? Id quod simpliciter ob rationes adductas affirmare non aulim. Recte ARISTOTELES L. III. de republ. C. XVI. edit. Casaub. perhibet: *κρείωτεροι καὶ περὶ κρείωτερον τῶν κατὰ γράμματα νόμων, οἱ κατὰ τὰ ἔθνη ἐσὶν.* Nam leges in moribus positae, iam in animis ciuium sunt, iudice ISOCRATE citato ab HERTIO in element. prud. ciu. P. II. S. I. §. 47. adeoque non eadem obliuioni atque morali coactioni obnoxiae ut leges scriptae. Taceo multa incommoda quae legum scriptarum multitudinem excipiunt, quorum meminit HERTIVS cit. P. II. S. II. §. 58.

### §. IIII.

#### AGITVR DE VARIIS IVS NON SCRIPTVM INDVCENDI MODIS.

Pro ciuitatum forma autem, populorumque diuersitate, uarie ius non scriptum introducitur. Ad Romanos si respicimus, in libera re publica tacitus quidem populi consensus ius non scriptum efficiebat; qui tamen diuerso modo significabatur. Generatim enim populo Romano, deficiente lege scripta, inueterata consuetudo pro lege erat, eaque quae longa consuetudine comprobata, ac per annos plurimos obseruata fuerant, uelut pro tacita ciuium conuentione habebantur l. 32. 33. et 35. D. de LL. Speciatim uero in re publica Romana lege regiae antea scriptae, et eiectis regibus abrogatae, tanquam mores maiorum et consuetudines patriae uigebant. Vid. HEINECCIUS in hist. iur. ciu. L. I. C. II. §. 15. Praeterea ex interpretatione prudentum et fori disceptatione, accedente tacita uel populi uel iudicum approbatione, ius consuetudinarium constituebatur. Vid. BRUNQVELL in hist. iur. rom. germ. P. I. C. IV. §. VIII. seq. Postea uero Imperatores, cum istud, quod

B illis





illis placuisset, legis haberet uigorem l. i. pr. D. de constit. princip. uario modo iura non scripta, tum uniuersalia tum singularia, tam praeter quam contra legem expressam, approbarunt. Ita ALEXANDER SEVERVS non solum rationales consuetudines seruandas esse, sed et in ambiguitatibus, quae ex legibus proficiscuntur, consuetudinem, aut rerum perpetuo similiter iudicatarum auctoritatem, uim legis obtinere debere iussit l. i. C. quae sit long. consuet. l. 38. D. de LL. Sic etiam DIVI FRATRES itemque IUSTINIANVS uoluerunt, ut fori consuetudo et iudicii obseruatio permaneret. Vid. l. i. §. 10. D. de extraord. cognit. l. 12. §. 5. C. de reb. cred. Inde intelligitur sub imperatoribus romanis triplex ius non scriptum, *consuetudinem nimirum in specie sic dictam, obseruantiam iudicalem et stilum curiae seu ordinem iudiciorum iam inualuisse.* Apud Germanos ante legem Salicam modo ius non scriptum cognitum fuisse, haecenus illi sibi persuasum habuerunt, qui cum TRIBONIANO in §. 10. I. de I. N. G. et C. leges scriptas solis a litteris denominandas esse falso putarunt. At uero quoniam ius scriptum etiam uiua uoce uel solo consensu expresso constitui potest, (§. II.) hac ratione et ab antiquis Germanis leges scriptas in conuentibus fuisse latas, acute iudicat ILL. RITTER in notis ad HEINECCI hist. iur. ciu. L. II. C. I. §. II. not. (α) Germanorum tamen iura tum publica tum priuata maximam partem ad saeculum usque XIII. et ulterius, potissimum legibus non scriptis constituisse, egregie demonstrat B. KOPPIVS in hist. iur. P. V. p. 195. 212. et 226. seq. et P. VI. p. 338. seq. Modum, quem antiquo medioque aeuo, in introducendo iure non scripto seruarunt maiores nostri, iam ulterius persequi scribendi ratio prohibet. Sufficiat igitur ad cognoscenda iura non scripta, quibus hodie utimur, generatim significare: Germanos nunquam admississe imperium absolutum monarchicum. Videatur prae caeteris B. S. R. I. COM. DE BÜNAU teutsche Kayser und Reichs Historie Vol. I. pag. 50. seq. Inde intelligitur, cur et hodie potestas legislatoria in Germania, intuitu imperii uniuersi sit penes IMPERATOREM et STATVS, his uero, ui superioritatis ter-  
rito-



ritorialis, illa competat in suis ditionibus. Vid. Instr. pac. ofnabrug. art. VIII. §. 1 et 2. Hi autem legislatores, tacito consensu diuersa iura non scripta constituere solent. Sic respectu totius imperii romano germanici introductae sunt uariae leges non scriptae, quae uocantur das Reichs-Herkommen, Gebraeuche und Gewohnheiten, quaeque tam in negotiis imperii publicis, quam in modo ea expediendi, et ipso, quem uocant, stilo curiae sunt obseruandae. Vid. Instr. pac. ofnabr. art. VIII. §. 4. in fin. ubi dispositum legimus, omnes laudabiles consuetudines religiose esse seruandas; add. Rec. Imp. de an. 1570. §. 76. et B. MASCOVIUS princip. iur. publici L. I. C. VII. Pariter quoque in territoriis statuum imperii, consuetudines tum uniuersales tum particulares, itemque obseruantia iudicialis et peculiaris iudiciorum ordo, sunt frequentiora, ita ut non solum in dicasteriis statuam, uerum in summis etiam imperii tribunali- bus, in controuersarum caussarum decisione, ad diuersa haec iura non scripta sit attendendum. Vid. Rec. imp. nouiss. §. 105. ord. cam. imp. de an. 1555. P. II. Tit. I. §. I. ord. iud. imp. aul. Tit. I. §. 15. DIV. AVGVSTI Wolfenbüttel. Hof-Gerichts- Ordnung in praef. ubi uerba: was den Rechten, der Billigkeit, unfern Verordnungen, loeblich eingefürten Gewonheiten etc. gemaes ist. Add. ILLVSTRISS. L. B. DE SENCKENBERG in diss. de iure obseruant. et consuetud. in caussis publicis priuatisque, quae inuenitur in ILLVSTRISS. VIRI Lib. Semestr. N. VIII. His, quae de uariis ius non scriptum constituendi modis haecenus dicta sunt, adhuc addendum, *ex obseruantia iudiciali, qua alias singulare ius non scriptum introducitur, fieri posse ius uniuersale, si et in aliis iudiciis illa recipitur.* Testantur id remedia prouocatoria ex L. diffamari, 5. C. de ingen. manum. et L. si contendat 28. D. de fideiuss. itemque remedium ex C. redintegrandi 3. C. 3. qu. 1. iuncto C. 18. X. de restitut. spoliat. quae per interpretationem usuaem multo latius ipsarum legum dispositione prius extensa, secundum eiusmodi sensum deinceps ab omnibus fere iudicibus accepta sunt, ita, ut iam ratione extensiuae interpretationis, iuris non scripti obtinuerint aucto-





auctoritatem. Vid. B. BOEHMER de action. S. II. C. I. §. 16. et C. IV. §. 39. seq. BEYER ad pand. tit. de iudic. pos. 28. seq. Dantur praeterea iura, quae maximam partem ex consuetudinibus coorta, quibusque in collisione, pro circumstantiarum ratione, leges adeo scriptae cedunt, quo in primis ius feudale longobardicum aequè ac germanicum pertinet. Vid. text. 2. f. I. add. HORN in iurisp. feud. C. I. §. 37.

§. V.

QUANDO ET QVA RATIONE CONSVETVDO ET OBSERVANTIA SINT PROBANDAE DISQVIRITVR, SIMVLQVE C. XI. X. DE CONSVETVD. EXPLICATVR.

De modo probandi consuetudinem et obseruantiam, mirifice certant Icti; qua de re uideri potest KEMMERICHVS in diss. de probat. consuet. et obs. tam priuatae, quam publice siue imperialis. Putant enim, tot actus et tot annos ad introducendam consuetudinem requiri, ut probabile sit, illam ad scientiam principis peruenisse. Quae tamen doctorum opinio legibus destituitur. Paucis igitur meam de hac re sententiam exponam. Consuetudo quidem pariter ac obseruantia et stilus curiae, minime uno actu existunt, sed ad illorum naturam plures et conformes actus sunt necessarii. Vid. GVNDLINGIANA P. III. n. III. §. 17. seq. Pluralis autem loquutio duorum numero contenta est l. 12. D. de testib. Iam uero, quoniam consuetudo tacita legislatoris uoluntate approbata, ius facit, (§. II.) sequitur, ut consuetudo a legislatore tacite laudata, nulla indigeat probatione. Factum enim probandum est, non ius; cum iura finita et certa sint l. 2. D. de iur. et fact. ignorant. e contrario uero facta non praesumantur l. 12. §. 2. D. de capt. et postlim. l. 9. C. de collat. Igitur cum non solum in iure romano, sed et in legibus imperii romano germanici, omnes laudabiles consuetudines generatim approbatae sint, (§. III.) meo quidem iudicio, si totum imperium romano germanicum consuetudine utitur, uel mos in iudiciis inducitur, frustra detra-

cito



cito legislatoris consensu quaeritur; quoniam omnes rationales consuetudines, in legibus uniuersalibus ab IMPERATORE ET STATIEVS IMPERII tam latis quam receptis, iam generaliter confirmatae sunt, indeque in Germania, quantum ad laudabilem consuetudinem, semper de tacita legislatoris uoluntate tamdiu praesumendum, quamdiu de illius contrario arbitrio expresse non constat. Id quod in omni iure non scripto introducto obseruandum esse puto. Aliter uero se res haberet in iure non scripto contra legem expressam inducendo, si hac clausula, ut ne abrogari unquam possit, munita esset (§. III.) hoc enim casu, interpretatio usualis nulla et irrita erit. Ex his autem colligi potest, consuetudinem tunc demum esse probandam, si uel de existentia, uel de tacita illius comprobatione dubium moueatur. Hoc ergo euentu consuetudinis probatio suscipienda est, eaque quam optime perfici potest per iudicata l. 34. D. de LL. his uero deficientibus, per alia documenta aut testes, conf. EVIACIUS obs. L. XX. n. 1. Ad introducendam autem consuetudinem, certum tempus nec ius romanum nec germanicum nec canonicum requirit. Nam licet in C. XI. X. de consuet. dispositum legatur, consuetudinem iuri positiuo praesudicium generare, si rationalis, et legitime praescripta, indeque sagacillimus alias THOMASIVS, glossa ad citata uerba deceptus, in notis ad STRAVCHII ius iustin. Diss. I. th. 10. putauerit, iure canonico, ad introducendam consuetudinem, quae praeter ius, requiri decennium, quae contra ius, XL. annorum cursum necessarium esse: ille tamen posthac in dissert. de iure consuet. et obseruant. §. 103. suum errorem agnouit, recteque statuit, ad fundandam consuetudinem nullibi certum et determinatum tempus definitum esse. Verba autem citati C. XI. legitime sit praescripta, idem significare uidentur, ac si Pontifex posuisset: legitime sit praestituta, scilicet indubitata legislatoris uoluntate introducta. (§. II.) Quid enim negotii est consuetudini cum praescriptione? ex qua ius quaesitum oritur, quod ne quidem ab ipso principe alicui auferri potest L. 11. D. de R. I. Si ergo Pontifex in cit. C. XI. praescriptionem respectu con-





suetudinis concessisset, se ipsum facultate illi per legem scriptam derogandi priuasset. (§. III.) Id quod sane non praesumendum, cum et analogiae iuris ipsique dispositioni iuris canon. in C. 1. et 2. d. XI. aperte repugnaret.

### §. VI.

#### VERVS SENSVS LEG. II. C. QVAE SIT LONGA CONS. ERVITVR.

Ex his quae haecenus de iure non scripto tradidimus, facili negotio l. 2. C. quae sit longa consuet. iusta interpretatione erit explicanda. Rescripsit CONSTANTINVS IMP. ad Proculum Proconsulem Africae sequentem in modum: *consuetudinis ususque longacui non uilis auctoritas est.* Voluit ergo Imperator exemplo suorum decessorum, ut in causis decidendis, et laudabiles consuetudines et rationalis usus legum scriptarum ambiguarum seruarentur. (§. III.) Pergit deinde: *uerum non usque adeo sui ualitura momento, ut aut rationem uincat, aut legem.* Quibus uerbis indicat, consuetudinem iari naturae contrariam et saluti reipublicae aduersam, plane non esse obseruandam, nec rationalem consuetudinem uincere legem scriptam postea latam, licet deroget priori scriptae, nisi illa, clausula, ut ne abrogari unquam possit, sit munita, uel illius usuali interpretatione, modo ius non scriptum singulare constituatur. (§. III.) Analogiae iuris enim, imo expressis legibus repugnaret, statuere, consuetudinem posteriorem generalem non posse uincere legem scriptam anteriorem. Apprime huc faciunt uerba 2. f. 1. occurrentia: legum autem Romanarum non est uilis auctoritas; sed non adeo nim suam extendunt, ut usum uincant, aut mores. Eadem ratione cit. l. 2. C. quae sit long. cons. explicatam legimus in C. fin. X. de consuet. Consentiant mecum pro parte GOTHOFREDVS in not. ad explicat. leg. C. HUBER in praefat. ad tit. Inst. de I. N. G. et C. §. 12. et GYNDLING ad pand. tit. de LL. §. 15. a. liique.

Haec praefanda duxi dissertationi inaugurali VIRI PRAE-NOBILISSIMI ATQUE CONSULTISSIMI AVGVSTI IOHANNIS OTTONIS MENSCHING LVBECENSIS, cuius uitae curriculum ab ipso exaratum, iam sequitur.

**E**GO AVGVSTVS IOHANNES OTTO MENSCHING natus sum Lubecae die VII. Februarii A. MDCCXXX. parentibus conspicuis CAROLO FRIDERICO MENSCHING I. V. D. et ANNA MARIA ELISABETHA



THA gente LIPENIA. His editis parentibus, felicem sane educationem sperare poteram. Enimvero uix lucem adspexeram, cum infelix fatum matrem mihi benignissimam eripuit, et quum sex annos uix compleuissim, patre etiam optimo sum priuatus. Hoc uisti euentu, eorum directione destitutus eram, a quorum cura uita futurae fors pendet. Acerbissimus profecto dolor! cuius memoria, ad hunc usque diem animo haeret. Neque etiam ullum huic infortunio parare remedium potuissim, nisi ad patris uicem accessisset Vir Excellentissimus atque Amplissimus IOHANNES FRIDERICVS SCHAEVIUS, I. V. D. REIPUBLICAE PATRIAE SENATOR meritiissimus et hoc tempore Praetor, qui matrimonio cum suauissima matertera CHRISTINA GERTRVD LIPENIA iunctus, uia cum Viro Praenobilissimo ANTONIO DITERICO WILCKEN, Mercatore Lubecensi, cognato meo pie colendo, tutela munus lubens suscepit, neque domi suae per quatuordecim annos educandum curauit, omnibusque egregiis beneficiis, quae in filium alias a patre collocari possunt, per omne tempus cumulauit. Hic optimus alter Pater, quem DEVS T. O. M. ad seram usque aetatem saluum sospitemque seruet, sedula cura nunquam non sollicitus fuit, ut religionis uerac dogmatibus aequae ac humanitatis litteris, quibus ad altiora progrediendum, imbueret. Hinc institutionibus aliorum priuatis traditus, imprimis omni pietate Ecclesiae Petrinae Reuerend. OSTERMEYERVM, nunc Archidiaconum Ecclesiae Petrinae Lubecensis recorder, qui animum meum ad uirtutis et litterarum cultum formauit, iisque scientiis quae inuentum ornare possunt, me fideliter instruxit. Anno aetatis meae xv. Gymnasium quod Lubecae floret, frequentare cepi, ibique B. Reſtoris A. SELEN, S. S. Theol. Licentiat et de republica litteraria optime meriti itemque Cll. Virorum OVERBECKII, SELENI partem iam tenentis, et GESNERI, nunc Correctoris, fidiſſimis institutionibus per iv. annos usus sum. Sic ad studia Academica praeparatus, uere primo Georgiam Augustam petii, ibique Prorectoris Magnifico Viro summe reuerendo RIBOUIO A. MDCCLVIII. albo ciuium Academicorum nomen dedi. Hic Philosophiam me docuerunt celeberrimi uiri et quidem B. WAEHNER matheſin, BECMANNVS senior ius naturae, BECMANNVS iunior logicam et metaphysicam. Historiam S. R. I. explanantem audiui ILL. PÜTTERVM itemque Exc. ACHENWALLIVM historiam stat. praecip. Europae tradentem. Ad iuris prudentiam uero quod attinet, doctoribus usus sum ILL. PÜTTERO in encyclopaedia iuris, DOM. DE SELCHOV in hist. iuris uniuersi et antiquitatibus, laudat. BECMANNO sen. in institutionibus, ILL. BOEHMERO in digestis, et Cl. HABERNICKELIO in iure ciuili aequae ac Germanico. Ob belli tumultus Goctinga sub initio anni MDCC LXI. discedere coactus, in patriam redii,





redit, indeque iterum primo uere in Celeberrimam Iuliam Carolinam me contuli. Hic a Viro Experientissimo HARTMANNO, tunc Academiae Prorectore Magnifico, albo ciuium Academiae adscriptus Doctoresque nactus sum humanitate non minus, quam solida eruditione in omni scientiarum genere, praestantissimos. Audiui enim B. MENCKENIVM, quem tristi fato ereptum nunquam non lugeo, in actionibus forensibus et iure criminali, ILL. HAEBERLINVM in iure publico, ILL. EISENHARDTIVM in iure canonico, Excell. ac Consult. HOEFLERVM, theoriam processus communis et Imperii explanantem, speciminaque practica elaborare docentem. Praeterea acroasisibus Consult. TRENDELENBURGII nunc Prof. ord. Büzoviens. interfui, meque ab illo, ut et in STRVVII iurisprudentia, in iure feudali, in collegiis examinatoriis a Consult. FRICKIO, in medicina forensi ab Exper. HARTMANNO, in physica ab Exper. BEREISIO, in emulcandis titulis digellorum de uerborum significatione et de regulis iuris a Doctissimo et Amicissimo PAELICKEN, profecisse, non sine animi laetitia recorder. Transactio igitur studiorum curriculo, superiori iam anno ab INCLVTO HVIVS ACADEMIAE IVRECONSULTORVM ORDINE obseruante petii, ut pro obtinendis summis in utroque iure honoribus examina consueti mecum institueret. Petitioni meae pro sua in me beneuolentia album calculum adiecit ILLVSTRIS ORDO, summoque in utroque iure honores mihi impertiri decreuit. Sicuti uero gratissima mente hunc singularem fauorem agnosco, ita quoque id reticere non possum, me summo animi motu ab hac Academia discedere, maxime si recorder, quot praeceptores tot etiam fautores me habuisse, quibus insignita et sane haud quotidiana beneuolentiae ac humanitatis documenta debeo.

Sic igitur hic PRAESTANTISSIMVS VIR uitam hactenus prudenter sapienterque inlinit, NOSTROQUE ORDINI consuetis in examibus egregiae iuris scientiae ea dedit documenta, ut communi suffragio summis in utroque iure honoribus omnino dignus sit iudicatus. Et his quam digne meritoque sit decorandus, adhuc testatum faciet sollemni dissertatione de seruitutibus in genere et speciatim de seruitute aedificiorum legali iuris Lubecensis, quam die XXVI. Augusti in IVLEO MAIORI publice et proprio Marte tuebitur. Hunc ergo eruditionis consilium, ut MAGNIFICVS ACADEMIAE IVLIAE CAROLINAE PRORECTOR, PATRES ACADEMIAE CONSCRIPTI, HOSPITES OMNIUM ORDINVM HONORATISSIMI, GENEROSISSIMI AC NOBILISSIMI ACADEMIAE CIVES, sua celebritate excipiant et condecorent, est quod reuerenter et officiose rogo atque obtestor. P. P. die xxv. Augusti MDCCCLIII.





ULB Halle  
003 742 423

3



f

TA → OL

nur 1+3 Stück verknüpft









quam conspectui TVO tradere venerabundus  
qui officiorum meorum erga TE partem exfo-  
sio, sed et publicum, quod diu iam sum medi-  
s meae extaret monumentum. Accipe vota,  
PATRVELIS INDVLGENTISSIME! su-  
mun Nunc mitto. Seruet TE DEVS T. O.  
s TVIS nonnum quotidiu addat vigorem, et,  
numeri gratissimo, in seros vsque annos praec-  
Dispulsis omnibus, quae TIBI nocitura esse  
uouis prosperitatis genere perfrui TE iubeat,  
cum benigna CONIVGE TVA ac NEPOTE  
nus, saluum praestet et incolentem, mihi  
gratissimum erga TE animum testare possim,  
et occasiones. Vale, PATRONE OPTIME!  
posterum faueas, indignum habe

TANTI NOMINIS

OBSTRICTISSIMUM CVLTORUM  
SIG. CHRISTOPH. HARTTMANN

1763, 2  
10 / 3 4

DISQVISITIO IVRIDICA  
DE  
VERA NATVRA ET INDOLE  
IVRIS NON SCRIPTI OCCASIONE  
LEGIS II. COD. QVAE SIT  
LONGA CONSVTVDO

QVA  
IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA  
ORDINIS ICTORVM H. T. PRO DECANVS  
D. IOHANNES IACOBVS HOEFLER

AD  
DISSERTATIONEM PVBLICAM ET SOLLEMNEM  
A  
DOM. AVGVSTO IOHANNE OTTONE  
MENSCHING

LVBECENSIS  
DIGNISSIMO SVMMORVM IN VTROVQVE IVRE  
HONORVM CANDIDATO

SINE PRAESIDIO DEFENDENDAM

STVDIOSISSIME INVITAT

HELMSTADI  
EXCVDEBAT MICHAEL GÜNTHER LEVCKART.